



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1689**

Problema XLIV. Cur dæmon domum suam appelle, è qua jam eliminatus est? Dominica III. Qvadragesimæ. Revertar in domum Lucae 11. v. 24.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



## PROBLEMA XLIV.

Curdæmon domum suam appellat, è qua  
jam eliminatus est?

## DOMINICA III. QVADRA- GESIMÆ.

*Revertar in domum meam Lucæ II. v. 24.*

S. I.  
Genitrix dæ-  
monis in  
hodierno  
Evan-  
gelio adum-  
bratus.

**I**n genium adversarii nostri vivaciter expressit Salvator hodierno in Evangelio dum & robur illius eximium & calliditatem exercitatisimam & studium nocendi indefessum & impudentiam insolentem declaravit. Robur quidem cum vocavit *fortem armatum*, maiores enim vires habet dæmon unicus quam omnes simul homines spestatâ solâ naturâ. *Non est super terram potestas que comparetur ei.* Job. c. 41. refunditque hanc potestatem in naturam propriam, *qui fa-  
dus est ut nullum timeret*, potest eorum quilibet commovere elemen- ta, immutare rerum formas, trans- ferre homines, cum ipsūmet DE- um-Hominem transfulerit. Magis autem immutare potest im- aginationem & phantasmatā ciere, hu- mores etiam alterare & per hos modò ad iram & audaciam, modò ad pusillanimitatem, timorem, despe- rationem, jam ad amorem mox ad odium, jam ad gaudium mox ad luctum concitare. Calliditas ex cir- cuitu elucet, quod naturalem homini- nis inclinationem exploret, aditus omnes riguetur, à minimis incipiat, ut in gravissima inducat, cùmque ipse pervertendo homini non sufficit, septem alias nequiores assu- mat. Indefessum nocendi studi- um verbis illis insinuat: *ambulat per loca inaquosa querens requiem.* Requies dæmonis est hominis rui- na. Loca inaquosa ex mente Hi- eronymi in c. 12, Matth. sunt gentes baptismi gratiâ destitutæ, de quarum certus exitio requiem malæ suæ voluntatis non habet, nisi & justos seducat, ideoque loca inaquosa, sive piorum animas, in quibus humor concupiscentiæ exiccatus est, petit: *loca arenia* inquit D. Gregorius l. 33. moral. c. 3. *& ina-  
quosa sunt corda iustorum, que ab o-  
mni carnalis concupiscentiæ humore  
siccantur*, si hic requiem non inveniat, in ea regreditur corda, quæ ali- quando sibi habuit obsequentia & devota: *Revertar in domum meam.* en ut nihil relinquat inausum, nul- lumque intermitat studium nocen- di. Impudentiam colligimus quod domum mundatam ornatamque spurcissimus nebulo incolere præ- sumat, nullus enim locus tam san-ctus est, cui se non inferat, ipsis etiam angelis beatissimis immiscetur, ut homini noceat, quod ex historia

L. 2

Jobi

## PROBLEMA XLIII.

Jobi c. 2. v. 6. didicimus: *è impudenteriam ejus* (exclamat D. Gregorius Nazianzenus in cat:) qui *talia audiat, jam inde à principio in paradisum ille contra figmentum irrepserat, nincque inter Angelos medius confitit.* & nunquid insolens hæc impudentia est, quod suam vocet domum quam semel incoluit, etsi turpiter inde ejectus sit? quo jure, quâ fronte, quo ore Domum suam appellat, quæ jam Domus DEi cœpit esse? causam præsumti hujus juris & pessimæ fidei usucaptionem investigemus.

## §. 2.

Causa prima cur Domum suam vocet, quia redeundi spem habet.

Quæ est ista tua impudentissime orci canis temeritas, rabies & immanitas, ut domum appelles tuam è qua pridem velut malæ professor fidei eliminatus & proscriptus es? num cœlum ideo tuum est, quia tuum olim fuit priusquam DEum, qui te genuit, derelinques, & obliviscereris Domini Creatoris tui? num gratia sanctificans ideo etiamnum est tua, quia tua fuit, cùm in ea gratuitò creareris? num Petrus, Paulus, Matthæus, Thomas aliique cœlorum indigites hodie tui sunt, quia tui aliquando fuere? aude in has domos regredi, aude incolatum exigere, aude jus vetus prætendere; eur ergo domum mundatam ornatamque proprietati addicis tuæ, tuamque appellas: *revertar in domum meam?* respondentem ad hæc audio adversarium: non est domus mea, quæ mea amplius esse non potest, sicut cœlum, gratia, & visione beatificâ donati homuli, esse amplius non possunt; at meam voco, quam meam denuo fore confido. Nullius, quantumvis sanctissimus videatur, damnationem desperat ac negligit, quin imo quod sanctiorem quempiam videt, eo ad ruinam graviorem impellit. ideo in paradyso protoparentes originali justitiâ præditos aggressus

est, ideo post jejunia in deserto Christum tentare ausus est, ideo parturienti in cœlo mulieri insidias struere natus est. Et verò experientiâ jam multâ didicit, de culmine sanctitatis velut apice turris pronore esse vertiginem longèque lapsum graviorem. Ex collegio Apostolico Oeconomum Christi astraxit, ex septem protodiaconis Nicolaum pervertit, ex centum viginti congregatis die Pentecostes, in quo illapsus est Spiritus Sanctus, quatuordecim ad lapsum impulit, ex familiarioribus Joannis discipulis septem, ex fidelioribus Pauli asseclis quatuor in turpisimos hæresiarachas deformavit. Scit versipellis corruptionem optimi esse pessimam, & longè gravissimum, ut alibi docui, lapsum justorum.

Quodsi mundetur & ornetur, qui fœdatus & denudatus ab illo fuit, si inquam convertatur ad vitam, quem ille prius perverterat ad damnationem, rabidiissimè furit, æstuat, debacchatur & vociferatur: *revertar in domum meam.*

Immundum ab Energumeno spiritum Capharnai in Synagoga IESus exigebat, at is cùm adulacione nihil proficeret, nec humilitate fita inclinaret animum Salvatoris: *venisti perdere nos?* scio qui sis *Sandus DEi*, Marc. I. v. 24. sed obmutescere & exire protinus jubetur, discerpens eum spiritus immundus & exclamans voce magnâ exit ab eo. v. 26. mutavit mox versipellis spiritus blandimenta in furorem & qui blando sibilo Sanctum prædicabat, immanni rugitu discerpens energumenum deserebat: *quid est, quærerit Magnus Gregorius homil. 12. in Ezechiel. quod obsessum hominem antiquus hostis, quem possessum non discerpserat, deserens discerpfit, nisi quod plerumque dum de corde expellitur, acciores in eo tentationes generat,* quam

Jugulares  
Con. 12. in  
quadrag.  
§. 1.

Dom. 24.  
post Pen-  
te. in Ter-  
gem. Cr.  
vic. 3.

quām priūs excitaverat, dum hoc quietus possidebat. quietus erat dæmon, quamdiu seductus homo sub iugō ejusdem gemebat, at ubi per infinitam DEi clementiam de Redēctione humana aetūm est, ingentes mox tumultus & tempestates concitavit, unde illi DEus: inimicitias ponam inter te & mulierem Gen. 3. v. 15. ubi inimicitiae inquit D. Ambrosius, ibi nocendi studium, ubi nocendi studium, ibi promittur malitia, nūquām dæmon maiorem depromit malitiam, quām cūm nequitiam ejus homo serio odit ac deserit, proscriptoque dæmone ē cordis sui habitaculo, DEum hospitem ac possessorem eligit ac diligit.

S. Ambros.  
I. de fuga  
secul. c. 7.

Novit præterea dæmon, peccatum esse poenam peccati, nisi se riā eluatur poenitidine, quæ solet esse perrara, rarissimōque peccatum unitate contineri, quin multiplicantur & in eum excrescat numerum ac debitum, cuius insimulatus fuit debitor ille servus Matth. 18. Sperat proinde regressum post liminio in domum, ē qua eliminatus fuit. Peccatum porro peccati poenam & finem alterius mali gradum esse futuri, Petrus primū negans, dein peierans, mox anathematizans suo nos docet damno: gravius quidem ac gravius negat inquit D. Paschalias I. 12. in Matth. quia quanto profundius in negationem vadit, tanto etiam cum juramento amplius peccat. Similiter Judas: Judas si pecunia amore coercisset, non venisset ad sacrilegium & non precipitaretur in Laqueum, S. Chrysostomus serm. de Jud.

Si Judæi filios suos & filias non immolassent dæmoniis nec Prophetas deinceps occidissent, si Prophetas non interemissem, nec Dominum gloriæ crucifixissent: à parvicio liberorum, ad prophetarum sanguinem per venerunt, S. Hierony-

mus in c. 57. Isai. Si Herodes Philippo fratri uxorem non abduxisset, nec caput Joanni Baptiste sacrilegè abstulisset. [vide diaboli artem, ut ad impietatem ex levioribus erratis extrahat. Primum fraterni cubilis perfoisse fecit, ut ex adulterii fossa ad Baptiste cædem transilire faciat. Malum tempore alitum crescit in quamvis libertatem, S. Basilius Seleuc. orat. 18.

Invenietis asinam alligatam & pullum, dicebat Dominus Matth. 21. v. 2. cur asina non est absque pullo? quia una iniquitas plurimorum foecunda parens est vitiorum & foetus quām plurimos parturit. De idololatris Hebræis prædicavit Stephanus Act. 7. v. 41. Vitulum fecerunt in diebus & obtulerunt hostiam simulacro & letabantur in operibus manuum suarum. Convertit autem DEUS & tradidit eos servire militiæ cœli. ex adoratione vituli ad adorandam militiam cœli permittente justo Numine, prolapsi sunt. En quantum exercitum scelerum unum secum adducat peccatum: vide divinum Stephanum inquit D. Cyrillus Alexandrinus in c. 5. Amos, testimonium dixisse, eos fabricasse vitulum & ad colendam militiam cœli conversos esse.

Decernit invictus David à facie Absalonis fugere, nè totus intereat: ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem: surgite, fugiamus, neque erit nobis effugium à facie Absalon. 2. Reg. 15. v. 13. cur non potius munire urbem cogitat, adhibitaque belli sagacitate hostem profligare satagit? ergo omnis in fuga est salus? cur delicatum puerum tantopere formidat? responde Josephus citato: David metuens impietatem Absalonis deliberavit fugere. scivit enim ex præteritis sceleribus enorme secuturum crimen, cuius spectator & testis esse

nolebat. Noverunt Theodidaeti, novit & ipse dæmon peccatum peccati pœnam esse, ideoque hic de possessione quasi certus reverti in domum suam statuit.

§. 4.  
Causa ter-  
tia, quia  
domus il-  
la hypo-  
criticos est  
typus.

*Revertar in domum meam.* Cur suam vocet domum pœnitentis animam, hypocrisi adscribit D. Bernardus, quod scilicet fidem non veram egerit pœnitentiam, plurisque ornatum & munditiem exteriorem, quam interiorum cordis puritatem fecerit: *quid aliud est domus scopis mundata & ornata quam fidio execranda, si peccata superficietus radas non intrinsecus eradicet?* certus esto, quoniam pullulabunt uberiori; & cum nequioribus septem, qui ejecitus fuerat, hostis malignus intrabit. hæc Bernardus serm. 2. de Assumpt. nulla aptior dæmoni habitatio, quam ubi vitium ferveret in intimo, dominatur malitia, grassatur turpitudo, foris verò munda & composita omnia apparent. Gravissimum hoc malum est & reliquorum omnium origo: *quid huic dementie possit & quarti in malis inquit in hypocrisi* Simon Cassianus, *penitus non inventio.* Pictores, diaboli hypocritas idem appellat, *sicut enim pictores cum aliquam ex diversis coloribus volunt formare imaginem de interioribus non curant, quomodo stomachus, cor, pulmo, jecur locentur, aut quæ serie intestina cetera disponantur, sed dunt taxat qualiter exteriora intuentium oculis aptiora reddantur.* at qui scrutatur corda & renes, adeò exosam hanc habet malitiam, ut præ ceteris flagitiis citius severiusque plecat, idcirco enim nuptialis conviva sine mora ejicitur non solum quia peccator erat (verba D. Ambrosii) sed quia peccator cum esset, sanitatis sibi meritum vendicabat; ideo Judas esse ocyus jubetur; quod facis facitius, non tantum quia fur & latro

Cafsia. I.  
10. c. 36.

erat, sed cum in cute nequam esset, pauperum fautorem se fingebat, & manum cum IESU in paropside intingere ausus familiaritatis intimæ specimen simulabat, nec pœnitentialis illa vox: *peccavi tradens sanguinem justum ad justitiae divinæ aures penetravit, quia pœnitentiam simulavit Judas potius quam egit.* ideo Saul protoregis pœnitentia, quâ dixit: *peccavi quia prevaricatus sum sermonem Domini & verba tua, timens populum, & obediens vocieorum: sed nunc porta queso peccatum meum, & revertere tecum ut adorem Dominum I. Reg. 15. v. 24. & 25.* pœnitentia, inquam, refractarii regis acceptata non fuit, sed audire à Samuele debuit: *porro triumphator in Israel non parcer & pœnitudine non flectetur,* quasi omnem spem veniae irritasset, quia hypocriticos sceleri ultra aures immersus & juxta nomen suum teste Delrio, adagio 197. *infernus malorum fuit;* ideo Pharaonis pœnitentia inutilis fuit: *peccavi in dominum DEUM vestrum & in vos Exod. 10. v. 17.* quia ex putido corde processit; ideo pœnitentia Antiochi mortem & poenas æternas non evalit, quia hypocrisia fuit; ideo Pœnitentia Caini cum lacrymis exaruit nec iniquitatem parricidiale delevit teste Paulo Hebr. 12. v. 17. quia lacrimæ erant crocodili & pœnitentia hypocritæ. Omnes hi, Domus erant, pœnitentiae scopis mundatae, & elegantibus pœnitendi formulæ ornatae, de quibus tamen jure non pessimo dicere pessimus poterat: *revertar in domum meam.* crudele malum hypocrisis! quæ virtutibus virtutes impugnat expugnatque. de hac eleganter Chrysologus serm. 7. *hypocrisis crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum; jejuniū jejunio perimit, oratione oratio-*

mem

S. Hilarius  
I. contra  
Constant.  
Aug.

nem evacuat, misericordiam miseratione prostermit. invehitur in ejusmodi virtutum tyrannum, et si Augustum Constantium Magni Constantini degenerem filium D. Hilarius: Christum confitetur ut neget virtutem, procurat ne pax sit, comprimit hæreses, ne Christiani sint; Sacerdotes honorat, ne Episcopi sint; Ecclesiæ testa struit ut fidem defruat; nulla gravior iactura quam sub religio- nis specie C HRISTU Mopprimere. Idolatriæ speciem hypocrisis refert, dum gloriam soli DEO debitam nomini suo deputat, orant enim hypocritæ, elemosynas faciunt, poenitentia opera subeunt, non ut DEum honorent, sed seipso extollant. Credamus Theophylacto in c. 18. Luc. v. 10. cum quis non Deo sed sibi sua bona opera tribuit, quid est aliud quam DEI negatio? Acutissimè Incarnata Sapientia hypocritis pupugit & idolatriæ insimulavit, dum eosdem perstrinxit, quod in angulis platearum orarent: amant in Synagogis & angulis platearum stantes orare Matth. 6. v. 5. cur exprobrat angulos? ut idolatriam objiciat. cum enim idolomaniam exercerent judæi, in angulis platearum erigebant aras, ponebant idola, adolebant thura. ita de Achaz alisque Regibus testatur Scriptura: fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem 2. paralip. 28. v. 24. idolorum ergo locum eligunt, qui suæ hypocriteos monumenta figunt. At vae his angulis! nequam querit angulum. Cum domum Jobi evertire diabolus vellet, angulos concusfit: ventus vehemens irruit à regione deserti, & concusfit quatuor angulos domus. Job. 1. v. 19. ab angulis ruina incipit, quia ab hypocrisi totius ruina hominis provenit. audiatur Origenes in categ. græca: eo verò quod quatuor domus angulos ventus contigit, disce in angulis pla-

tearum hypocritas ad orandum consistere. ubi facta Deorum imago, ibi & facta virtutum imago consistit, indeoque eversioni locus ille proximus est, quia dies nebulae & turbinis, dies tuba & clangoris super angulos excelsos Soph. 1. v. 15. super hypocritas tubæ fatales insonant, judicia divina intonant, imminent supplicia. per angulos excelsos, inquit interpres Hieronymus, opera perversa & à recto deviantia intelliguntur, unde & à Salvatore arguantur Pharisæi, quod adorent in angulis platearum: via enim recta & angusta tendens ad paradisum, arcta & angusta est; via autem fracta, habens angulos, & tortuosa, lata & spatiosa est, quæ dicit ad mortem. hæc Doctor maximus. ex quo collige proximam ad perditionem & omnis boni iacturam esse viam, hypocrisim, nihil proinde mirum, si per hanc viam facile redeat in dominum suam Sathanas: revertar in domum meam. Est conscientia hypocritæ sicut sepulchrum dealbatum, foris pulcrum, horrore intus foetidum, quidni in eo habitat author mortis & humani generis vespolio diabolus?

Demus tamen dominum illam, in quam reverti Sathan decernit, non esse tam enormi hypocriteos labo sordidatam, quemadmodum depinximus, nihilominus ut ex Bernardo supra dictum est, quia scopis duntaxat mundata fuit, perfectè mundata non fuit, scopæ enim maiores sordes duntaxat avehunt, relinquent minores, adeoque juxta Melliflui Doctoris phrasin rasa tantum fuit dominus illius iniquitas, non autem eradicata, ne unquam repullearet. Facilis dæmoni regressus in eam est conscientiam, quæ graviora tantummodo detestatur scelerata, fovet minora. lavanda undeque domus est non scopis solu-

§ 5.  
Causa 4.  
quia scopis super-  
ficiem tenus  
fuit mun-  
data.

Iummodo verrenda, ut munda sit tota; volo dicere: non enormia duntaxat peccata sed levissima quæque omni conatu & vigilantiâ expurganda cavendâque sunt, si nolumus conscientiam nostram à dæmone domum suam appellari: revertar in domum meam certus enim dæmon est in peccata relapsorum maxima, quisquis non cavit minima.

Peccata  
venialia  
cavenda.

Figura 1.  
Nubecula  
Eliæ.

Galen. I. de  
theriac. & de  
Pison.

hunt. parva sed prava es est, officiosum mendaciolum, curiosulus aspectus, effusior risus, & quid est rufus (Chrysostomum refero homil. 87. in Matth.) aut quid unquam è rufi mali sequitur? orta ex immoderato rufus currilitas, à scurrilitate turpiloquum, à turpiloquio operatio turpis profecta est. en quid parva sed prava aëris mutatio efficiat, qualem pestem invehat, quæ tanquam bellua inquit Galenus, totas depascens civitates male conficit. totam Sichimorum civitatem confecit Dinæ curiositas, totum pœne Israelis regnum infecit pestilens Davidis gloriosa, totum Sionis gazophylacium exhausit levicula Ezechiae ostentatio. En ut nubecula in nubem, halitus in perniciem, peccatum in immane ex crescet peccatum. A nubecula quasi vestigio hominis ad pedes Petri veniamus.

Figura 2.  
Petrus.

Post triennalem ad mandatum Eliæ siccitatem, visa tandem est minima nubecula de mari exurgens, quæ in ingentem mox tempestatem ac pluviam excrevit: ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. 3. Reg. 18. v. 44. simul hoc Elias vidit, jungi mox equos currui regio Achab jussit & cito gressu avolare in regiam, nisi quis obrui vellet. vix ista fando Elias, cum cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis v. 45. ex nubecula vestigium humanum vis superante nubes existit grandis & gradata, ex nube tempestas, ex tempestate horisoni venti, post ventos imber maximus, & prope suppar Noëtico nimbus. ita ex leviculis defectibus, minimis noxiis, minimi momenti erroribus, non tempestivè occurrit, tempestas ingens oritur & strages & exitium. Nascentur ex parvo fonte copiosa flumina, excitantur ex una scintilla magna saepè incendia, ex tenui semine proceræ exurgunt arbores, ita ex peccato minimo maxima non raro flagitia ortum trahunt. Quod de peste dixit Galenus, de noxiis venialibus dictum pariter intelligo: parva quædam & prava ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines cum respirationis periculum evitare nequeant, ipsum aërem velut venenum quoddam ad se per os attrahunt.

Pedes suos ablui detrectabat Petrus, cui Dominus: si non lavero te, non habebis partem mecum Joan. 13. cur tam severè Petrum increpat, quem paulò ante lotum & mundum esse pronuntiārat? munditiem pedum sive puritatem affectuum à venialibus fordibus necessariam esse docuit, nè in gravia offendamus: veniales igitur culpas monet Bernardus, nemo condemnat aut parvipendat, impossibile enim est cum eis salvari; non leve est vulnus, quod tanto indiget curatore, nec exiguum malum, quod tantum impedit bonum. Minuta peccata, sine ligantur, occidunt; minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent, ait S. Augustinus tr. 12. in Joannem.

Qui correptionem non admittit, post ternam correptionem, publicani & Ethnici instar habendum Salvator monuit: sit tibi sicut Ethnicus

*cus & publicanus Matth. 18. v. 17.*  
 putat Origenes homil. 6. in Matth.  
 de correptione venialium noxarum  
*egisse Christum, qui in peccato levi*  
*correptus ter non se emendat, nos qui-*  
*dem sic eum debemus habere quasi pub-*  
*licanum & ethnicum.* ex venialibus  
 enim ad mortalia prolabetur, per  
 mortalia vero Ethnicis æquipara-  
 bitur: *fine dubio idolatriam admit-*  
*tit quicunque delinquit,* Tertullianus  
 l. de idololat. c. 1. Ex levi peccato  
 ad idolomaniam Hebræus populus  
 deflexit: *sedit populus manducare &*  
*bibere & surrexerunt ludere Exod.*  
 32. v. 6. in quæ verba divinæ scri-  
 pſit Gregorius: *elus potusque ad*  
*Iūsum impulit, Iūsus ad idolatriam*  
*traxit;* unde sic infert monētque:  
*prius per levia delicta deflectimus, ut*  
*usu cuncta levigante, nequaquam post*  
*committere graviora timeamus.*  
*cumque mens subigere delectationem*  
*carnis renuit, plerumque & ad perfidie*  
*voraginem ruit.*

Figura 3.  
Populus  
Iudens.S. Gregor.  
l. 10. mo-  
ral. c. 14.Figura 4.  
Salomon.

Salomon in exemplo est, cuius  
 turpissimum post tot Dei beneficia,  
 post tot sapientiae suæ data speci-  
 mina, post tot exercita religionis o-  
 pera in idolatriam prolapsum Jo-  
 sephus delicto leviori adscribit,  
 quod æreos boves ad sustinendum  
 mare in templum induxit: Salo-  
 mon ætate proiectior cultum DEi  
 sui neglexit, & mulierum exterarum  
 ritibus assuevit; quamvis jam ante-  
 a quoque à præscripto legum dis-  
 cesserat, quando æreas boum effi-  
 gies basi maris addiderat. Hæc Jo-  
 sephus l. 8. c. 7. non poterat hic er-  
 ror Salomonis plusquam venialis  
 esse, ex quo tamen ad summum A-  
 postasiæ malum est prolapsus. ca-  
 veat minima qui pavet maxima.

Figura 5. Jota unum aut apicem legis  
 non prætereundum insinuat IESUS  
 cum ait Matth. 5. v. 8. *jota unum aut*

Problemata P. Philippi Hartung.

*nnus apex non præteribit à lege donec*  
*omnia fiant.* quibus verbis ostendit  
 (verba sunt S. Augustini l. 1. de  
 ferm. Domini) in lege ad effectum  
 minima quæque produci. Mini-  
 ma legis observanda sunt, minima  
 transgressio cavenda, quamvis e-  
 nem parvum censeatur mandatum,  
 non tamen parvus est, qui mandat,  
 cuius majestatem contemnit, qui  
 imperata negligit. ita D. Hierony-  
 mus in Regula Monach. titulo de  
 obedient. *Non leve est DEUIM in*  
*exiguo contemnere, qui non tantum*  
*ad qualitatem peccati respicit, quan-*  
*tum ad personæ contentum: propter*  
*quod non solum homini intuendum*  
*est, quale sit quod jubetur, sed etiam*  
*quantus sit ille, qui jubet.*

Jusserat Moysen DEUS cum  
 gregibus & impedimentis omnibus  
 Ægypto excedere, ideoque auda-  
 Et Pharaonem Moyses interpellat:  
*cundi greges pergent nobiscum,*  
*non remanebit ex eis ungula Ex. 10.*  
 v. 26. nec ungula in Ægypto relin-  
 quitur, ut ad unguem & apicem  
 præceptum Domini impleatur. E-  
 leganter Cyrillus l. 1. de adorat. o-  
 portet, ut qui in veram se libertatem  
 afferere volunt, studeant à malis abs-  
 cedere & semitam ingredi, quæ ad  
 virtutes ducit, nullaque omnino aut  
 anime aut mentis reliquias dimittere,  
 per quas iterum sub diaboli domina-  
 tum redigamur. Non fuisset reda-  
 ta denuo sub diaboli dominatum  
 domus hodierna de qua ipse dicit:  
*revertar in domum meam,* si non so-  
 lùm scopis purgata sed pannis ma-  
 didis eluta, non sordibus modo gra-  
 vioribus sed pulvisculis etiam levif-  
 simis caruisset, ubi enim pulviscu-  
 lum aut peccatillum dæmon negle-  
 ctum observat, ibi certam sibi man-  
 sionem spondet & de regressu glo-  
 riatur: *revertar in domum meam.*

Denique quod Domum suam  
Mm

Figura 6.

§. 6.

quia Do-  
mus illa  
non habu-  
it custodi-  
am Angelici-  
cam.

vocare præsumat, è qua exulare Iu-  
sus est, causam non ultimam fuisse  
censeo, quod fortis armato carverit,  
à quo atrium custodiretur, & vis do-  
lisque dæmonis arceretur. Insi-  
nuat hanc causam Christus inqui-  
ens: *cum fortis armatus custodit atri-  
um suum, in pace sunt ea, quæ pos-  
siderit* Luc. II. v. 21. si ergo fortem ar-  
matum Domus illa habuisset, in pa-  
ce permanisset & turbulentio Sa-  
thanæ nequaquam in divisorium  
cessisset. & quis ille fortis, imò for-  
tior totò dæmonum exercitu arma-  
tus? D. Michaelis ceterorumque  
Tutelarium Angelorum præsens  
custodia & vigil præsentia, quâ de-  
stituti facile fraudibus dæmonum  
circumveniuntur, occupantur,  
damnantur. Sunt quidem beatissimi  
Angeli dies noctesque parati in  
nostram stare custodiā ac salutem,  
sed nos eosdem amandamus & abi-  
gimus, sicut fumo apes, lordinibus co-  
lumbæ, ignibus leones abiguntur,  
cogimusque repetere triste illud:  
*Cura vimus Babylonem Ec.*

Invocemus proinde devotissi-  
mis precibus Tutelarem nostrum  
Angelum, & assumitis septem illis  
invictissimis spiritibus, qui sunt an-  
te thronum DEi, stet pro inviolata

domo cordis nostri omnésque ad-  
versarias quād longissimè arceat  
potestates. Invocat Angelus An-  
gelum in suppétias, ut videre est Da-  
nielis. 10. v. 13, invocat dæmon dæ-  
monem in hominis exitum, cur  
non & homo contra dæmones in-  
vocet fortis cœlestium exercituum  
armatos, ut in pace sint omnia, quæ  
possidet, nec hiscere unquam ausit  
adversarius & repetere solenne il-  
lud suum revertar.

Sed jam tempus monet, utre-  
vertatur unusquisque domum su-  
am in pace, cui ego pro itineris so-  
latio emblemá offero, in quo templum  
nomine SS. Trinitatis insigni-  
tum exprimitur, ante templi fore  
stat excubitor Archangelus Michae-  
l, qui septicipitem hydram, & sex  
alii principes spiritus, qui totidem  
dracones à Domo DEi, hoc est, ani-  
ma nostra (templum enim Dei estis  
vos) feliciter abigant & propel-  
lant cum felici epiphonemate, quod  
victor Michael draconi oggerit:

*Cuia domus? non est hæc tua,  
nostra manet.*



PRO-

S. 7.  
Emblema.